



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. XC. Legatum factum Capitulo de certa quantitate tritici solvenda ex reliquis annuarum solutionum testatori debitis, utrùm solvendum sit per hæredes favore piæ causæ, lisèt nulla reliqua, sive ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

bus insignita. Quod si nominatus fuerit inhabilis, veluti secularis, ad prioratum conventualem; vel regularis alterius ordinis, aut ætate requisita carens, & is à summo Pontifice recusetur, dantur alii tres menses ad nominandum: his tamen novem mensibus elapsis, si Rex non nominaverit idoneum, Papa providet sine nominatione de persona idonea, & qualificata.

16 Et ex his patet resolutio secundæ quæstionis propositæ, nempe quod ad dictum prioratum conventualem, sufficit vigesimus secundus annus completus in Gallia, juxta tenorem dictæ constitutionis: sed de jure communi ad tales prioratus requiritur ætas viginti quinque annorum completorum, *cap. cùm in cunctis, de elect. & Clem. 1. de stat. monachor.* de aliis verò prioratibus non conventualibus egimus suprà, *cap. 3.*

17 Ad tertiam quæstionem respondetur, quod licet aliqui DD. & inter cæteros Flamin. Paris. in *tractat. de confident. quæst. 58.* existimaverint, simoniam in Gallia esse licitam: tamen falluntur, cùm in Gallia etiam confidentiarii tanquam simoniaci puniuntur, teste Charond. *lib. 1. respons. 47. & lib. 7. respons. 190.* Adeo ut qui beneficium possidet per confidentiam, privatus censeatur tali beneficio ipso jure. Petr. Gregor. *de benef. cap. 26.* † Et licet aliqui dixerint, simoniam in Gallia, spatio decem annorum purgatam esse: Moderni in *tract. de benef. cap. ult. in glos. 5. num. 57.* Tamen si delictum sit continuum, & non momentaneum, nihil prodest decennalis possessio: quia quotidie, & singulis momentis interrumpitur. Charond. *d. cap. 47. lib. 1.* Utrum autem simoniacus, vel confidentiarius resignare possit post adversarii imperationem; alibi exposuimus, nempe *cap. 27.* ideo hic non repetimus.

18



CAPUT XC.

Legatum factum Capitulo de certa quantitate tritici, solvenda ex reliquis annuarum solutionum testatori debitis; utrum solvendum sit per hæredes favore piæ causæ, licet nulla reliqua, sive arreragia debeantur.

SUMMARIUM.

- 1 Legatum censetur potius factum gratia demonstrationis, quam taxationis, quando testator non reulit designationem rei, ex qua fieri debet solutio, ad substantiam legati; sed duntaxat ad illius executionem.
- 2 Quando agitur de pia causa, quamvis testator mandaverit ex re certa, vel certis fructibus præstari, censetur potius factum gratia demonstrationis, quam gratia taxationis; & potius pro securitate legatarii, quam favore hæredis.
- 3 Fructus non distributi annis præteritis, si sint exstantes, distribui debent inter novos canonicos, non inter antiquos.
- 4 In dubio interpretatio fieri debet favore piæ causæ, contra Fachineum.
- 5 Ampliatur ut hoc procedat, sive pia causa sit actrix, sive rea.
- 6 Nomine arreragiorum, sive reliquorum, con-

tinentur tam antiqua, quam nova arreragia.

Testator sacerdos Ecclesiæ, in qua vivens beneficium obtinebat, certam frumenti quantitatem legavit, quæ solveretur de arreragiis seu reliquis distributionum sibi per capitulum ejusdem Ecclesiæ debitis: Cùmque arreragia quædam præcederentur, quæ capitulum indebita esse asserbat; & hæc his lis penderet: quæsitum fuit utrum legatio ex aliis testatoris bonis suppleri deberet, & si firmativè resolutum fuit.

Primo, quia testator non legavit quantitatem lam frumenti capitulo taxativè, sed demonstrativè: non enim dixit, Lego frumentum ex arreragiis sed usus est his verbis: Lego talem frumentum quantitatem, quæ solveretur ex arreragiis quæ mihi debeantur. Illa autem verba, *lequel se payera des arreragies*, non respiciunt substantiam legati, sed illius executionem; & sic dispositio remanet pura, & quædam accidet de illis arreragiis, semper hæredes tenentur ad solutionem legati: ut probatur in *quidam testamento, ff. de legat. 1. Castrenf. consil. 338. vol. 1. Surd. consil. 162. num. 23. Tufch. in verb. legatum, conclus. 61. num. 13. 14. & 15. Gratian. discip. forens. cap. 256. num. 22. Castill. controvers. lib. 4. cap. 34. num. 17. & seq.*

Secundo, quando tractatur de pia causa, prout in casu proposito, in quo legatum factum fuit pro fabrica Ecclesiæ; quamvis testator legatum ex certa præstari mandaverit, etiam si res, ex qua legatum præstari debet, unico verborum contextu designata fuisset; si res ex qua legatum præstari debet non extet, vel non debeatur; semper legatum solvendum est, neque cogitur Ecclesia, vel alia pia causa petere legatum super re designata, sed potest ex aliis bonis testatoris: quia favore piæ causæ designatio illa non operatur taxationem, sed solum demonstrationem; & solum duntaxat taxatam, esse pro legati solutione obligatam tradit Roman. *singul. 440. per Glos. in l. Cæcilius 12. in verb. neque in rem, ff. de ann. leg. & in l. Lucius 12. in verb. ex re ditu, in princip. Fachin. de mentis & cibariis legat. ubi quod hæc verba videntur appositæ pro securitate legatarii, quamvis favore hæredis; & potius ad resignationem quam ad conditionem & limitationem faciendam legatum. Tiraquel. de privileg. pia causa, privileg. 6. §. 1. & hoc expresse voluit. Ejusdem sententia est Gratian. discip. forens. cap. 265. num. 29. Mantio. de consil. ult. vol. lib. 12. tit. 6. num. 26. Marc. Anton. Genuat. in practicabilib. Eccles. quæst. 268. num. 3. Petrus. de Guid. Pap. decis. 8.*

Tertio, quia cùm duplicis generis arreragia distributionum testatori deberentur; nempe antiqua & nova; circa antiqua verò lis penderet, quæ capitulum contendebat illa non deberi, & etiam si fructus non distributi annis elapsis, tunc fuissent exstantes, (quod tamen non erat) nihilominus fructus distribuendi duntaxat fuissent inter novos canonicos, & non inter antiquos, minisque inter hæredes antiquorum. Tufch. littera O, consil. 1. num. 11. Garc. de benef. part. 3. cap. 2. num. 429. Nov. verò arreragia dicto testatori tempore obitus piæ debita, essent liquida, non litigiosa; & causa quæ aliqua adfuisset ambiguitas, & interpretatio in debio fieri debebat favore piæ causæ. Tiraquel. de privileg. pia causa, privileg. 148. † Quod ampliatur, si pia causa sit actrix, sive rea. Tiraquel. *ibidem*, privileg. 146. licet ab hac opinione aliqui recesserint, &

bus favere videtur Fachin. *quæst. controv. lib. 6. cap. 26.* ea tamen opinio, quæ favet piæ causæ, & verior est, & receptior: teste Menoch. *lib. 4. præsumpt. 106. num. 33.* post plurimos per eum allegatos. Ergo cum præteritorum, seu reliquorum nomine, tam antiqua quam nova continentur; *Glos. in l. 2. in verb. reliquorum, Cod. sine censu vel relictis, sequitur dictum legatum potius deberi capitulo ex novis, & liquidis, quam ex antiquis & illiquidis, & forsan indebitis.*



CAPUT XCI.

De jurepatronatus per fundatorem in ultima voluntate relicto. Quod legatum & fundatio transeat in naturam dispositionis inter vivos, quando testator fundationem cum autoritate Episcopi vivens executioni demandavit: Et in omnem eventum, ultima illa voluntas sit irrevocabilis, etiam in præjudicium ejus, cui juspatronatus relictum est. Juspatronatus utrū Consulibus, vel etiam toti Communitati relictum censeatur.

SUMMARIUM.

- 1 Legatum juspatronatus transit in dispositionem inter vivos, si fundatio vivo testatore fuerit autorizata, & executioni illo instante demandata.
- 2 Post perfectum & consummatum actum fundationis, juspatronatus alteri per fundatorem concessi non potest; sed legatarius illud habet irrevocabiliter.
- 3 Ultima voluntas est deambulatoria usque ad mortem. Fallit in jurepatronatus, quando Ecclesia, seu capella fuit erecta, & in esse deducta auctoritate Episcopi, de consensu fundatoris.
- 4 Testator qui consensit fundationem deduci ad effectum, ipso vivente, potest cogi ad dotandum.
- 5 Juspatronatus non acquiritur per augmentum dotis: sed oportet Ecclesiam fuisse deductam a non esse ad esse.
- 6 In dubio juspatronatus relictum Consulibus, ad eos spectat tanquam Consules, non ad Universitatem.
- 7 Si tamen Consules præsentaverint in vim mandati sibi facti per Communitatem, possessio queritur Communitati.
- 8 Communitas est manutenenda in quasi possessione præsentandi, si Consules ex vi mandati ipsius præsentaverint.

Juspatronatus, de quo agebatur, dixi pertinere conjunctim ad Priorem, & Syndicos loci, juxta tenorem primi testamenti per fundatorem conditi: non obstante quod illud testamentum fuisset postea revocatum, & juspatronatus alteri relictum. Quia fundator præveniendo diem sui obitus, primam illam dispositionem executioni demandavit: interveniente auctoritate Episcopi, seu ejus Vicarii; qui ob longissimum temporis lapsum, legitimam præsum-

Tom. I. Pars I.

tur habuisse auctoritatem. † Et sic ex actu ultimæ voluntatis, fecit dispositionem inter vivos: & per consequens irrevocabilem in præjudicium illorum, quibus ex fundatione quæsitum fuit juspatronatus: ut tradit Nicol. Garc. in *tract. de benefic. part. 5. cap. 9. num. 68.* Quod manifestum redditur ex verbis dictæ fundationis: Verum quia dictus exponens cuperet dictam fundationem confirmari, & dictam capellaniam in titulum perpetui beneficii erigi, & missam celebrari, antequam ipse ab humanis decederet. Deinde subiunguntur hæc verba: præfatus dominus Vicarius dictam fundationem confirmavit, & in titulum perpetui beneficii erexit, &c. † Quæ omnia denotant actum, vivente & requirente ipso testatore, consummatum & perfectum; & sic in præjudicium patronorum, quibus jus erat quæsitum, juspatronatus alteri relinquere non potuisse. Calderin. *consil. 20. de jurepatron.* Roch. de Curt. *de jurepatron.* in verb. ipse, vel is a quo, num. 33.

Sed posito citra præjudicium veritatis, quod ex illa confirmatione non fuisset mutata ultima voluntas in actum inter vivos; non tamen ex eo sequeretur potuisse illi ultimæ voluntati per posterius testamentum derogari. † Quia licet deambulatoria sit hominis voluntas usque ad mortem; tamen attentata Ordinarii confirmatione, & approbatione testamentariæ fundationis; illa non potuit per aliud testamentum, aut aliam dispositionem revocari, nec titulo legati potuit in alium transferri. Lambertin. *de jurepatron. 2. part. lib. 1. in prima quæst. p. in fin. art. 9.* ubi indistinctè loquitur tam de legato, quam de donatione, fol. mibi 121. sed melius in prima parte, lib. 1. in 4. quæst. principali, art. 10. num. 3. & 4. fol. mibi 31. verso, ubi casus deciditur in terminis. Optime etiam idem Anthor. *cod. lib. 1. part. 1. quinta quæstionis principalis, art. 8. num. 45.* † ubi dicit quod etiam hoc casu, testator vivens compelli poterit ad dotandam Ecclesiam jam in esse productam; & subdit hoc esse digito ligandum: quia ipsi testatores facile vivendo suam revocant voluntatem, quod tamen non possunt: ut habetur *ibidem, fol. mibi 38.* eandemque sententiam uti veram supponit Rota *decis. 228. num. 1. part. 1. diversorum.*

Neque poterat iste posterior legatarius juspatronatus, præterdere jus aliquod sibi quæsitum per augmentationem dotis ejusdem Capellanæ, cum juspatronatus non acquiritur alicui ex augmento dotis; sed necesse sit primam dotem fuisse omnino deperditam, & Ecclesiam fuisse deductam a non esse ad esse. Rot. apud Durant. *decis. 285. n. 35. & 36.* Nicol. Garc. *de benefic. part. 4. cap. 9. n. 122.* Sanch. *lib. 2. consil. moral. cap. 3. de dubio 76. num. 3.*

Utrum autem illud juspatronatus Syndicis competat, tanquam Syndicis; an verò toti Universitati, dubitatum fuit: † vera resolutio est, quod in dubio juspatronatus relictum Consulibus non censeatur factum Communitati, sed solum Consulibus seu Syndicis: & ideo soli Syndici possunt præsentare absque interventione Communitatis. Bald. in l. si quis 48. §. in omnibus, num. 19. *Cod. de Episcop. & cleric.* Rot. *decis. 574. num. 8. part. 1. divers.* & *decis. 144. num. 6. & 7. part. 5. recent.* Durant. *decis. 285. n. 123. & 124.* † Sed si Consules præsentaverint uti procuratores Communitatis, & in vim mandati sibi per Communitatem facti; censentur agnovisse juspatronatus ad ipsam Universitatem spectare; cum actus præsumatur factus juxta formam mandati. Menoch. *lib. 3. præsumpt. 46. num. 9.* & juxta id, ad quod ex mandato tenebantur. Menoch. *ibidem, n. 8.* Masc. *ad. in verb. actus, conclus. 38. num. 2. & 3.* Masili. *decis. 34. n. 5.*

Surd.